

XII.

L e o p o l d u s Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator
Semper Augustus etc. etc. etc.

Illustris, Spectabilis, ac Magnifici, Generosi, Egregii, Prudentes ac Circum-
specti Fideles Dilecti. Memineritis procul dubio Clementissimae Nostrae Resolu-
tionis sub 14. Aprilis anni 1698, et 26. Augusti anni 1699 repetitae, qua serio
deerevinimus, ut Valachis Graeci ritus integra libertas sit uni ex quatuor in Tran-
sylvania receptis religionibus se uniendi, vel etiam in suo quo nunc
religionis statu manendi, ita quidem ut iisdem privilegiis gaudeant,
quibus illa religio, cui se dicti Valachi univerint, gaudet. Cum autem magna
cum displicentia intelligamus, quod contra praefatas Nostras Clemen-
tissimas Resolutiones non solum agatur, verum etiam quidam seditionem amantes
et turbatores quietis publicae spargere audeant, quod Intentio Nostra
esset, ut praefati Valachi ad unionem cum religione Catholica
cogantur; proinde vobis, his, et constantem nostram Caesareo-Regiam volun-
tatem, mentem et intentionem Clementissime declarare volumus, quod dictis Va-
lachis integra libertas sit se uni ex quatuor receptis in Transylvania religionibus
uniendi, aut in suo moderno statu manendi, gaudeantque illis
privilegiis, quibus religio, cui se univerint, gaudet, aut ipsi Valachi in
moderno suo statu manentes fruuntur, ita quidem ut nemo
sub poena gravis nostrae indignationis praesumat, saepe dictos Valachos in
bae sua libertate turbare, aut nimium gravare, imo contra facien-
tes ad instantiam gravatorum bono ordine factam debite puniantur et laesis
congrua satisfactio quanto cito fiat, volumus enim ut quilibet juxta Regium
Nostrum Diploma vitam in religione sua quiete degere possit ac valeat.
Vobis denuo Clementissime et serio mandamus, ut praefatam Nostram Regiam
Declarationem per totam provinciam sine minima mora non solum publicare faci-
atis, verum etiam in observantiam hujusec Nostrae Clementissimae Resolutionis
omne studium et diligentiam, ut fideles Consiliarios deceat inpendatis, cui etiam
debitum morem gerere noveritis. Caeterum vobis Gratiam Nostram Caesereo-
Regiam benignissime confirmamus.

Datum in Civitate Nostra Vienna die duodecima Decembris anno Millesimo
Septingentesimo primo, Regnorum Nostrorum etc.

L e o p o l d u s.

Julius Fridericus Comes à Bucellini
ad Mandatum Saerae Caesareae-Regiaeque Majestatis
proprium
Johannes Theodorus de Vihemburg.

Illustribus, Speetabilibus et Magnificis, Generosis, Egregiis, Prudentibus ac
Circumspectis Fidelibus Nostris Nobis dilectis N. Consiliariis Nostrae Transyl-
vaniae

Cibinum
allatae 1702. 29. Januarii.

(Abschrift in Privathänden.)